Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 623
Quelle:
Copyright:

exacte; omisit enim unum, quod sic habet: *Quod etiam castus timor excluditur a futura uita.* Aliud cum nostris emendationibus ita legendum: *Quod ad Patrem, qui ab animo* (alio) *non est, proprie vel specialiter operatio* (omnipotentia) *non etiam sapientia et benignitas.*

VI. *fol.* 173. p. 2. *Epistola bernhardi abbatis.* Scripta ad *Innocentium* II. post Conventum *Senonensem* coram Rege *Ludovico* VII. celebratum, e quo egressus *Abaelardus* Sedem Apostolicam adpellavit. Incipit: *Amantissimo patri et domino Innocentio — Necesse est ut ueniant scandala* &c. Extat Opp. *Bernardi* edit. *Maur. Paris.* 1690. T. I. *epist.* 189. Item *Opp. Abaelardi supracit.* p. 272. Nobis finit: *qui nec uestrę persone nec curię pepercit,* omissa illa editor. clausula: *quod melius Nicolaus iste meus, imo et vester, viua referet voce.*

VII. *fol.* 175. p. 2. absque titulo: *Innocentius episcopus seruus seruorum dei. H.* (Henrico) *senonensi.* (Sampsoni) *Remensi archiepiscopis. eorumque suffraganeis. sal. et karissimo in christo filio. B. clareualensi abbati salutem.* Damnantur *Abaelardi* dogmata cum suo auctore, eique tanquam haeretico perpetuum silentium imponitur. Initium: *Testante Apostolo sicut unus dominus* &c. Finis: *innodandos esse censemus. Data later. XVII. Kal. Aug.* Extat Opp. *Bern.* T. *cit. epist.* 194. et *Abaelardi* p. 299.

In Theca postica egregii hujus Codicis legitur: *Iste liber pertinet ad Sanctam Mariam Kotewic* (Coenobium Gottvicense O. S. B. in Austr. infer.) *Quem quis quis ui seu fraude vel furto abstulerit deleatur de libro viventium Amen fiat fiat.*

CC.

Codex chartaceus lat. Sec. 162
XV. Folior. 274. f. probe scriptus et rubricis distinctus continet inprimis plura *S. Ambrosii Mediolanensis* Episcopi, Scriptoris Sec. IV. Opuscula hoc ordine: I. Librum primum de *Abraham* absque secundo. Titulus: *Incipit liber primus de Abraham patriarcha.* Initium: *Abraham libri huius titulus est* &c. Finis: *et bona senectute compleuit dies.* Monendus jam hic est Lector, Opusculum istud cum sequentibus a quibusdam, ut *Cassiodoro, Gratiano, Thoma Aquinate* &c. olim sub generali vocabulo Operis *de Patriarchis* comprehensum, et singula Opuscula tanquam singulos hujus Operis libros consideratos fuisse.

II. *fol.* 13. p. 2. *Incipit liber secundus de ysaac et anima.* Initium: *In patre nobis sancti ysaac uel origo* &c. Finis: *seruare se debet et custodire.*

III. *fol.* 25. p. 2. *Incipit liber tertius de bono mortis.* Initium: *Quoniam de anima superiore libro sermonem* &c. Finis: *et nunc*